



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

Svmmarivm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

riore non extendatur, capit. fin. de constitut. fallit tamen quoties de effectu futuro, agit, qui sine effectu præterito stare, & consistere potest Gloss. in Clemen. vt hi qui iuret, in posterum. de ætat. & qualit.

DECISIO XLVII.

Ex consil. 3. alias 11.

Bulla Pij IV. quæ incip. *Romanum*. & est 109. in ordine eiusdem, edita 1564. & Bulla Pij V. incip. *intolerabilia*. & est 87. in ordine eiusdem, edita 1569. in beneficiariorum confidentiariorum late, ad excludendum, & arcendum dolos, & fraudes, & vota caprandæ mortis aliene, quæ per huiusmodi confidentias beneficia illicitas induci solent odiosa censende sunt, & restringenda; eo quod lex omnis facta in odium aliquorum, vel alicuius rei censeri debet odiosa, & restringenda. l. Qui exceptionem ff. de condit. indeb.

DECISIO XLVIII.

Cum constitutio odiosa, non extendi, sed potius restringi debet; capit. O dia, de reg. iu. in 6. pensionem per confidentiam transferens, pænas Bullæ contra confidentiam beneficiale lætæ non incurrit, cum pensio nec beneficium sit, nec res spiritualis, sed temporalis, nec obligat ad dicendas horas Canonicas, nec habet perpetuam durationem, nec residentiam requirit, quæ tamē omnia beneficia de iure communi requirunt, c. Consequenter, & capit. fin. de cle. non resi. & renunciari potest, & remitti gratuito sine vlla superioris auctoritate, ex Card. Alex. in cap. Agathoxe. dist. 63. immo cum Papæ auctoritate pecunia redimi potest.

DECISIO XLIX.

Ex consil. 4. alias 3.

Lex Principis secularis prohibens equos extra regnum suum asportari, cum sit præiudicialis, pænalis, odiosa, & in odium delicti inducta, in foro conscientie clericos extrahentes equos suos in suis equitijs genitos non obligat, præsertim cum lex Imperatoria etiam generaliter loquens, & nullam de clericis specialem faciens mentionem, clericos non includat, si sit præiudicialis: Arg. cap. 1. de noui oper. nunc. & cap. Si in adiutorium dist. 10. sed neque lex hæc laicos in conscientia obligat, cum recepta solum sit quoad pænam externam, non autem quoad pænam æternam; lex autem recepta, quoad pænam temporalem, nõ obligat quoad pænam æternam, si non sit recepta etiam quoad illam. Neque confessarij, neque penitentia eruditi consueuerunt huiusmodi legis obseruantiam, auilangere, aut in foro interiori accipere, reputantes legi satisfieri soluendo pænam temporariam, cum deprehenderetur eorum transgressio. Ita Nauarr. in Manu. cap. 23. num. 62.

DECISIO L.

Ex consil. 5. alias 7.

In Capitulis Generalibus Religiosorum, vbi multæ nationes concurrunt, legitime fieri potest constitutio, ne in Priores, aut Abbates Monasteriorum plures, quam tres de vna natione eligantur, cum statutum hoc multis de causis rationabile esse possit, scilicet, ne alijs detur causa superbiendi, alijs murmurandi, aut alijs nimium suæ genti, vel nationi tribuendi. Quando autem eligi nõ possent omnes digni de omnibus nationibus, nisi plures quæ tres eligerentur de vna, tunc plures de illa eligi possent; quia nunquam eligendus est indignus ex S. Thom. 2. 2. q. 63. artic. 2.

DECISIO LI.

Ex consil. 6. alias 2.

Quod respondet Papa de iure respondendo alicui quærenti, vel interroganti eum super aliquo dubio iuris, censetur velle, vt in similibus casibus idem respondeatur; quia vero Papa, aliquando vt Papa loquitur, aliquando vero vt Doctor, ex circumstantijs temporis, loci, modi & causa respondendi, & interrogandi, & scribendi, & dicendi, colligi potest in dubio, an vt Papa, vel vt Do-

ctor in tali materia responderet censetur.

DECISIO LII.

Ex consil. 7. alias 20. de sententia excommunicationis.

Extrauagans Pij Quinti de electione superiorum ordinis Minorum excommunicans suspendens, & per mensem carceri mancipans eum, qui ad officium obtinendum, quorumuis fauorem extra religionem procurat; non punit fratrem procurantem literas ad quosdam electores, vt ei fauerent, si postea dictis literis non vtatur; lex enim pænalis restringenda est, capitul. Pæna. de penit. dist. 1. nec vitra finem a legislatore intentum ligat, cum actus agentium nõ operentur vitra intentionem eorum. capit. fin. de præbend. Et intentio Pontificis est, ne electores propter fauores indignos dignis, vel minus dignos dignioribus præferant; qui finis & intentio cessat, si procurans literis non vtatur; talis enim verè fauorem non procurat, cum literæ alicui fauori non sint, donec ad eum, ad quem dantur, perueniant.

DECISIO LIII.

Quarta de consil. in Nouis. deest in antiquis.

Quamuis domicilium originis firmitus, & immutabilius sit, l. 1. & l. si. ad municip. quia tamen domicilium habitationis principalius est Gloss. in capitulo. statutum, ver. vnam diariam, de rescrip. in 6. adeo vt diecesis appellatione in dubio venit illa, quæ est domicilij habitationis, immo & stylus Curie habet, vt orator exprimes diecesim, cuius est, exprimat diecesim habitationis, non Natiuitatis: Hinc fit quod licet tractatum alicubi esset, pæta Spoletii, etiã a Papa sub pæna excommunicationis late sententiæ cõfirmatum, vt pro nulla muliere ciuitatis Spoletii, vel eam habitante dari, aut recipi possit dos maioris summe mille florenorum, nihilominus tamen si Spoletanus origine, etiam cum Spoletana origine, in alio loco, pæta Romæ, Matrimonium contrahat, ibique domicilij cõstituat, cum proposito ibi habitandi, licet potest sponse parès dotem filie augere, & sponsus illud auctarium recipere, absque eo quod excommunicationem incurrant: si quidem statutum ciuitatis Spoletanæ quamuis omnes illius ciues, hoc est, habentes in ea domicilium, liget: attamen ibi natos, sed alibi habitantes non ligat. Statutum. n. ciuitatis non nisi sue iurisdictioni subiectos obligare potest, eo quod cum statuere iurisdictionis sit, solum eos cõprehendit, qui ei subiacent, l. fin. de iurif. omni. iud. & cap. 2. de constit. in 6. lbi vero nati, sed alibi extra territorium habitantes, iurisdictioni illius non sunt subiecti.

DECISIO LIV.

Octava de consil. in Nouis. deest in antiquis.

Cum statuta Papalia sint, quæ Capitulum Generale auctoritate Apostolica condit, & inferior statuta superioris tollere nequeat ex Felin. in capitulo. cum accessissent, de Constitut. Capitulum non Generale representatiuum Capituli Generalis, statuta in huiusmodi Capitulo Generali per definitiuam sententiam tollere non potest, eo quod sententia definitiuam irrenocabilis est etiã ab eodem iudice, seu Capitulo Generali sententiam illam ferente capit. cum in literis, de offic. deleg. & l. iudex ff. de re iudic. vnde si quid iniuste in Capitulo Generali statutum esset, ad solum Papam, cui Capitulum illud Generale immediate subijcitur, per appellationem recurrendum est.

TITVLVS III.

De Rescriptis.

SUMMARIVM.

- 1 Parochus sine vlla monitione infra annum cessante impedimento presbyter ordinari debet, alias parochialem perdit, nec eum ignorantia excusat.
- 2 Exemptio per possessionem quadraginta annorum prescribitur.
- 3 Subre-

- *3 Subreptitia non est petitio puella, qua vt dispensationem obtineret contrahendi cum affine, narrauit se pauperem, si tunc pauper erat, licet spem haberet patrimonij magni.
- *4 Delegatus ecclesiasticus, nec pro labore potest aliquid extra esculentum, & poculentum licite accipere.

- 2 Capitulum vocem, illam non habentibus, aliquo discrepante communicare non potest.
- 3 Lex quoad vnam partem per non usum & desuetudinem solui potest, & non quoad aliam.

DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 12. in Novis, & in antiquis.

Parochialem ecclesiam adeptus, & infra annum non ordinatus, cessante legitimo impedimento, perdit illam: cap. licet canon. & capitulo, commissa, de elect. in 6. nec ad constituendum eum in mora & negligentia suscipiendi presbiterij requiritur monitio vlla superioris vltra illam, quæ iure communi fit: In d. capitulo, licet canon. & capitulo, commissa. Neque ignorantia iuris excusari potest, cum parochialem ecclesiam accipiens id scire tenetur, in iure autem noto, paria iudicantur scire, & scire debere leg. quod re. ff. si cer. pet. Et fructus post primum annum male perceptos, & etiam quos intra illum percepit, si receperit, & possedit ecclesiam intendendo non se promoueri facere intra illum, d. cap. commissa, §. ceterum, restitueret tenetur ei, cui ecclesia illa postea conferretur; eo qd fructus Ecclesiæ vacantis conuerti debet in vtilitatē eius illa vacante, vel tradi primo successori. cap. cum vos, de officio, ordin. & cap. Quia saepe, de elect. in 6.

DECISIO II.

Ex consil. 2. alias 8.

Congregatio clericorum, & laicorum ad educandos, & regendos orphanos instituta, religiosa est, & regularis sub regula Sancti Augustini, & à Sede Apostolica, approbata, Ita Pius V. in sua Bulla, quam ad supplicationem Congregationis concessit, quæ non est ex motu proprio, vnde nec in Bullario habetur, & clerici, & aliæ personæ in ea professæ, religiosi, & regulares ipsius congregationis, à iurisdictione, & auctoritate ordinariorum, tam legitima præscriptione exemptionis per quadraginta, & amplius annos, capitu. de quarta, de præser, quam Apostolica concessione Pauli Tertij in sua Bulla, quæ incipit, Altitud. edita 1540. constit. 30. exempti censentur.

DECISIO III.

XIX. de rescriptis in Novis, deest in antiq.

Dotem tantam habere dicitur puella, quantum valet id, quod nunc habet, & reliquit pater, ac quod a matre, seu alijs et inuitis iure extorquere potest: Illud autem quod certo sperat titulo voluntario habere patrimonium eius non auget, nec facit vt pauper esse desinat: vnde nec subreptitia puellæ talis petitio censenda est, quæ vt obtineret dispensationem contrahendi cum affine, narrauit se incompetenter dotatam, quæ verè tunc erat talis, etiam si ipsa, & sponsus hanc confidentiam haberet, quod mater aut alij vltra partem debitam, titulo donationis, aut alio voluntario magnum patrimonium postea daturi essent.

DECISIO IV.

XXI. De rescriptis in Novis, deest in antiquis.

Delegatus, vt sunt Episcopus, & Vicarius, quibus committuntur dispensationes matrimoniales cum clausula (Per Apostolica scripta mandamus, quatenus tu frater Episcopo, seu fili Vicari, deposita per te omni specie cuiuscunque muneris, aut præmij etiam sponte oblato, a quo te omninò abstinere debere volumus, de præmissis diligenter te informes) nihil pro labore, & occupatione accipiendi informationem testium, etiam sponte oblatum, præter esculentum & poculentum, accipere possunt. c. statutum §. in super, de rescript. in 6.

TITVLVS IV.

De Consuetudine.

SVMMA R I V M.

- 1 Consuetudo, qua solum prudentiores, vocem in Capitulo ha-

DECISIO I.

Ex consil. 1. alias 2.

Consuetudo quorundam Religiosorum, qua solum prudentiores re, & atate maturiores, vocem & suffragium in Capitulo habeant, & admittantur in electionibus superiorum, & mala est, & contra ius commune, mala quidem, quia licet illa ratione bona niti videatur, quod docet, vt prudentiorum, eruditorum, ac maturiorum suffragia pluris æstimentur, quam aliorum: alia tamen ratione, mala est, quia pauciores facilius subornantur, quàm plures, & alijs superbiendi, alijs inuidendi, & omnibus dissidendi occasio non parua datur: Contra ius etiam commune est, quod regularis professus, & Subdiaconus non habeant vocem in Capitulo, etiam in electionibus prælatorum, cap. Ex eo, §. 1. de elec. in 6. & Cle. vtrij qui, de pta. & qualit.

DECISIO II.

Capitulum vocem, quæ competit ei in eligendo, alijs quibus ea non competit, communicare non potest nisi concors fuerit, & nemo discrepauerit.

DECISIO III.

Ex consil. 2. alias 1.

Lex, & statutum quodcunque, quoad vnam partem, tolli, & quoad alteram validum manere potest. De rogatur, ff. de verb. sign. vt proinde quoad illam solum, obliget, & non quoad alteram, quæ per non usum, & desuetudinem tollitur, §. leges, dist. 4.

TITVLVS V.

De Electione, & Electi potestate.

SVMMA R I V M.

- 1 Electionis confirmator, de ea agnoscere, supplere, & inquirere potest.
- 2 Electio facta post tenebras iure antiquo valida, sed non iure nouo.
- 3 Electio post suffragiorum collationem statim facienda, & quando ex intervallo facta valeat.
- 4 Electio, ubi vnus suffragium suum socio detegit, valet.
- 5 Electionem à maiori parte factam non admittens, peccat.
- 6 Voce actiua, & passiuâ priuatus, quibus censetur priuatus.
- 7 Scrutatores in electione falsum miscendo, grauiter peccat, & illa nulla est, & ipsi arbitrarie puniendi.
- 8 Voce actiua, & passiuâ suspensus, per alios modos, quam electionis, beneficia assequi potest.
- 9 Suspendio irregularitatem inducens appellatione non suspenditur, & quæ illa sit.
- 10 Generalis Minorum quare immediate fieri non possit Vicarius, vel Procurator Generalis.
- 11 Electio facta, præsentem excommunicato denunciato, non valet.
- 12 Prælatus, & Conuentus diuersa, adeo vt proprie prælatus non est de Conuentu.
- 13 Generalis & Definitorum cum maiori parte Capituli modum eligendi iuri communi conformem, nec in toto, nec in parte tollere possunt, absque Pape licentia.
- * 14 Electio, vt valeat, a maiori parte fieri debet.